

DEMONSTRATIO V.

Corpora etiam solidissima suis gaudent poris & cavitatibus majoris vel minoris diametri, quibus fluidum æthereum infidet.

*Experimenta.*

1. Metalla propter pororum diversitatem specifica gravitate inter se valde differunt, quod libra demonstrari potest.
2. Cuprum, Orichaleum, ex tempore argenteo niveo colore imbui, argentumque inaurari, pulveris affrictu potest.
3. Mercurius cum Saturno mediante Wismutho ita sese miscet, ut etiam eorum libere pertranseat.
4. Aqua Regis solvit Aurum, non autem Aqua fortis: Aqua fortis Argentum, non autem Aqua Regis. Et quoniam aqua fortis lubentius dissolvit cuprum, argentum Cupro præcipitatur & ferrum præcipitat cuprum, hoc autem ad fundum dejicitur Zinco, quoniam aqua fortis aggreditur facilius Zincum quam ferrum, & hæc omnia propter pororum diversitatem.
5. Solo oris flatu in thermometro extenuissimis vitreis tubulis parato liquor contentus pro lubitu moveri potest.
6. Atramenti Sympathetici effectus ostenduntur, ubi in charta liquore pinguntur literæ non visibiles, quæ occultantur sub magna copia chartarum, postea exterius applicatur Spiritus, sic in momento visibiles & coloratæ redduntur.
7. Fragmenta coralliorum cerâ albâ privari possunt rubedine per totum corpus dispersâ.